DISCURSUS JURIDICUS
DE
EXERCITIO ET EXTINCTIONE ACTIONUM INJURIARUM

Quem

DIVINA FAVENTE GRATIA

Auctoritate & Consensu

Magnifici, Nobilissimi & Amplissimi in Illustri Salanâ Jure Consultorum Ordinis.

PRÆSIDE

VIRO Consultissimo Clarissimo

DN. JOHANNE THOMÆ J.U. Doctore, Patrono, Promotore, ac Præceptore suo omni honoris & observantiæ cultu ætatem prosequendo


publicæ disquisitioni subjicit

CHRISTOPHORUS GAMMERSFELDER
Noribergensis

In Auditorio JCtorum

a. d. Augusti,

JENÆ,
Expressa typis SENGENWALDIANIS,
ANNO M. DC. XLVIII.



INjuriarum † acturos nosse prius oportet, tempus, quo constare possit de injuriâ facta, exspectandum nonnunquam esse, *L. 1. C. de ordin. Cognit. confer. sent. Weichbildo subject. tit.* So die Injurien nicht aus Frevel. *p. m. 140. a.* atque † ne civilis actio interim præscriptione annuâ aut morte Injuriantis perimatur, contestatione *l. 31. C. de lib. causa.* (quem † textum alii minus commodè trahunt ad revocationem ad animum) sive querelâ *l. 10. C. de injur.* principi per preces offerendâ *l. 1. 2. C. quand. libell. Princip.* efficiendum. Ut Serenissimus Saxoniæ Elector Injuriato hoc casu voluerit consuli, vide in Ordin. Proc. *tit. 6. inf.* 1. 2. 3. 4. *I. Positio J. Actionis tẽpus.*

Nec † idem, qui in civili, illicò & in criminali Injuriarum judicio juris dicendi habet potestatem. Ibi Romano Jure judex à Prætore dabatur: *fac. l. 15. §. 2. de injur.* Hîc † neque prætor criminalium potestate destitutus cognoscebat, nec ab eo datus judex *arg. l. 131. §. 1. de V. S. l. 2. §. fin. de judic. l. final. de injur. non obst. §. 10. ibi: officio Judicis. J. de injur.* Hodiè † pro diversâ locorum consuetudine & qualitate injuriæ criminale judicium modò ad superiorem, modò ad inferiorem (quam vocant) Jurisdictionem pertinere intelligitur. 1. 2. 3. *II. Judex*

Litigantium † etiam quod attinet personas, quasdam deprehendes, quæ cùm actionem habeant, ejus tamen non habeant exercitium. Ita † filiofam. actio injuriarum adquiritur, *l. 9. de oblig. l. 1. §. fin. l. 30. § 1. de injur. l. 30. pr. de pact. non obst. l. 17. §. 12. de injur.* à patre exercenda, *l. 39. §. 4. de procur.* non ab ipso filio, nisi pater sit absens, *l. 8. pr. de procur. l. 17. §. 10. & seqq. de injur.* aut actio instituenda sit ex l. Cor- 1. 2. *III. Litigantes.*

3. neliâ. *l.* 5. *§.* 6. 7. *de injur.* Quibus † autem exercitium competit, sive per seipsos agere, sive per procuratores malint, *non obst. l.* 39. *inf. ibi: quoniam famæ causa est D. de procurat. junct. l.* 1. *pr. de his qui not. inf.* licet. de civili actione loquor. In cri-
4. minali † neque pro Accusatore *Paul.* 5. *sent.* 4. §. 11. (id equidem hodiè mutatum *Ordin. crim. Caroli V. tit.* 12. *ibi:* Soll der Ankläger/ oder sein Gewalthaber) neque † pro Reo *non obst.*
5. *l.* 3. *C. de accus. l.* 33. *§.* 2. *de procur.*) quod ipsum etiam in Camerâ, cum ibi tantum ad pœnam fisco applicandam agatur, haud observatur, *Treutlerus vol.* 2. *disp.* 30. *th.* 6.) intervenire procurator potest *l. fin. in f. C. de injur.* cum contingere possit, majorem relegatione pœnam statui, *l. fin. D. de injur.* eàque eventûs possibilitate inspecta meritò locum obtinuerit regu-
6. la, *l.* 1. *pr. vers. sed & si ea, D. an per. al causa appell.* secus † ac olim, ubi Lege Corneliâ pœnam relegatione non majorem definiente *fac. l.* 12. §. *fin. vers. fin. junct. vers. omnibus a. D. de accus.* procuratorem admissum fuisse probabile videtur *ex l.* 42.
7. §. 1. *de procur. ita ferè Bacchov.* Sed ut † compilatores Digestorum, imò ipsum *d. l.* 42. Authorem Paulum aliter ferè 5. *sent.* 4. *§.* 7. *&* 11. sentientem ab incuriâ excusemus, *d. l.* 42. de actione ex L. Corneliâ civili, quæ, quod privatum interesse persequatur, dicitur privata, accipere operæ pretium est. quasi dicat JCtus: licet ex L. Corneliâ actio criminalis pro publicâ utilitate exerceatur, ex eâdem tamen lege hodiè civi-
8. lis quædam est recipiens Procuratorem. Quod † autem cum *supra n.* 4. ab actione criminali abesse jussimus, exceptionem habet in communitate seu universitate *Berlich. par.* 5. *concl.* 65. *n.* 37. & personis illustribus; *l. fin. C. de injur.* ut tamen † his etiam sine procuratoribus litigare liberum sit, *arg. d. l.*
9. *fin. ibi: licere: & ibi: etsi ipse non adesset.* §. 10. *ibi: possint. J. de injur. non obst. nov.* 71. *c.* 1. *junct. rubr.* ut ut eam libertatem in pecuniariis causis non habentibus. *l.* 28. *C. de procur. d. nov.* 71. *præf. & c.* 1. In † provinciis hodiè Saxonicis, an post const. Elect.
10. 42. par. 4. (quâ injuriarum pœna ad fustigationem usque extensa est) pro criminaliter accusato possit intervenire procurator, disputatur. Quidam, quòd ante d. Const. Saxonico

jure

jure intervenire potuerit, neque expresſè id poſtea mutatum reperiatur, non ſatis firmâ ratione, indiſtinctè admittunt. Alii tantùm in actione de levi injuriâ. Alicubi indiſtinctè repellunt. Diſtingvendum videtur, utrum ad ſolam mulctam agatur fisco applicandam, an generaliter ad univerſam pœnam Conſtit. Elect. comprehenſam?

Et hæc de perſonis. Ipſam † modò litem cogitantibus 1.
difficilis ſubnaſcitur concurſus injuriarum actionum tùm inter ſe, tùm cum aliis. Inter ſe concurrunt vel in Agente uno vel in diverſis. Poſterius † contingit ob injuriam plures 2.
inferentem læſiones, immediatam unam, reliquas mediatas. Ex † his (mediatis) prodeuntes nec ab eâ, quæ ex immediatâ eſt, *l. 41. de injur.* nec à ſe invicem, conſumuntur, *l. 1. §. fin. de injur.* uno quippe facto plures formaliter injurias complectente, *§. 2. J. l. 1. §. 3. D. de injur.* ut † minùs commodè patrem injuriatæ fœminæ ipſius ſocero præferri ſtatuat Johan. 3. 4.
Faber, nec dum ſatis excuſatus ab Angelo, quaſi loquatur de actione nomine ipſius fœminæ intentandâ; cum etiam hujus exercitium, ad ſocerum ne quidem deficiente patre pertinens, inutilem faciat de prælatione quæſtionem. Eadem † hodiè (poſtquàm per d. Conſt. 42. Jus civile & cum eo actio de mediatâ læſione reſtituta videtur) in foro Saxonico procedere tentabimus; adeò, ut guarandæ à primo Agente facta præſtatio nec alios de ſua læſione agere volentes impediat, neque primum illum Agentem obliget ad defendendum Reum à cæterorum conventionibus, *non obſt.* Landr. *lib. 2. art. 15. 16. Diſſ. Schneidw. ad §. patitur n. 13. hic.* quippe ex aliâ formaliter cauſâ, quàm ſuper quâ præſtita eſt gvaranda, intentatis. 5.

IV. Concurſus actionum J. inter ſe in pluribus agētibus.

Priori † caſu concurrentes vel plures faciunt Reos 1.
(quaſi ex pluribus injuriis *ut l. 11. pr. l. 34. de injur. l. 9. de jurisd.*) vel unum. Ibi † ſicut plures ſunt actiones, ita & plures 2.
res æſtimationes & plures pœnas perſequuntur: *arg. d. l. 34. d. l. 9.* nec † diverſum eſſe, ſi adverſus univerſitatem agatur, putat Weſenb. *hic n. 18.* Tutior videtur diſtinctio, inter injurias 3.
communi univerſitatis, & alias proprio ſingulorum conſilio factas *v. l. 15. §. 2. D: quod vi aut clàm d. l. 9. in f. de jurisd.*

V. In uno agente adverſus plures Reos.

VI. *Adversus eundem Reum.*

1. Adversùs † unum & eundem Reum concurrunt equidem civilis & criminalis J. A. sed electivè tantùm, non cumulativè; *fac. l. 6. inf. de injur. l. un. C. quand. civil. act. crim. l. 56.*
2. *§. 1. de furt. diff. Broeus* etiam de jure Saxonico, tam † comuni antiquo (modò ibi pœnam quæ in casibus Emendæ præstandæ, quasi actionis civilis accessoria, *Landtr. lib. 1. art. 53. lib. 3. art. 32. inf.* à judice, non tamen jure actionis, exigitur, à mulctâ istâ arbitraria, quæ in criminale judicium venit, distingvamus, *v. sent. Weichbildo subj. tit.* Injurien wie die peinlich *pr. & §. fin.*) quàm † Electorali novo, *non obst. Const. Elect. 32.*
3. *& 42. par. 4.* Quæ ut ad reçantatoriam accomodemus, prius, utrum criminalis ea sit, videndum est. Talem † nimirum, his, quæ pro civili ejus natura dici possent, disputationi reservatis, exercitii gratia asseremus, (1.) præsupponentes,
4. (see above)
5. pœnam † criminalem etiam in actus alicujus ignominiosa prohibitione consistere posse, *l. 8. pr. junct. l. 9. pr. & §. §. seqq. de pœn. l. fin. de injur.* multovè magis in impositione facti ignominiosi, quale si cogites esse recantationem, ubi Recantans mendacii notam sibi ipse cogitur cum vituperio inurere, solennitatibus etiam ignominiosis pro consvetudine loci accedentibus (ita alicubi collum resti immittitur, alibi os propria manu percutitur, aut carnifici percutiendum præbetur) quin à natura civilium actionum deflectat, vix dubitare lice-
6. bit. Judicium † sanè, quo quis ad ignominiosum factum ex actoris petitione condemnatur, & ex condemnatione ad id tenetur, prorsus differt ab eo, quo condemnatũ infamia sequitur ex dispositione juris. Civile hoc est, quia infamia ab actore non petitur, nec à judice irrogatur, sed est ex lege (uno verbo)
7. accessoria (2.) ad † rem facit, quòd non ut in aliis facti obligationibus, *l. 13. §. 1. de re judic. l. 72. pr. de V. O.* Reus interesse solvendo liberatur. Imò ad recantationem, & quidem (3.)
8. in † persona præstandam compellitur, non admisso ejus
9. procuratore *Berlich. p. 5. concl. 62.* (4.) Recantare † recusans carcere coërcetur, pane & aquâ cibatur, relegatur, aut, ut ejus nomine pareat lictor vel carnifex adsciscitur,
10. *v. Berlich. d. concl. 62. n. 34. & seqq. Dn. Carpz. prax. crim. q. 94. n. 31.* (5.) denique † quòd morte Rei etiam post litem contesta-

testatam hæc actio exstinguitur *Dn. Carpz. par. 4. const. 42. d. 15.*
Ne † dicas id ex eâ esse ratione, quod actio recantatoria sit 11.
pœnalis & famosa. Pœnales enim & famosas post litem conte-
statam ad hæredes transire, citra famæ licet periculum, vide-
sis in *l. 6. §. 2. de his, qui not. inf. §. 1. vers. pœnalis a. J. de perpet.
& temp. act.* Et hæc ex principiis Juris Romani expedita
videntur. Nostris † autem moribus illam demum actio- 12.
nem ubi agitur ad pœnam corpori extrinsecus cum dolore
infligendam, criminalem appellari, communius creditur, cō-
tradicente tamen Gothofredo Antonio *per Ordin. Crim. Caro-
li V, art. 104. ibi:* peinliche Straffe am Leben Ehren *art.
110. ibi:* an seinem Leib Leben oder Ehren peinlich gestraffe
art. 113. ibi: zu peinlicher Straff angenommen/ihm dz Lande
verbothen. *Ordin. Cam. par. 2. tit. 28.* §. Item nach dem
ibi: in peinlichen Sachen die Leibsstraff auff ihnen tra-
gen (*quæ verba ibi sunt limitativa*) & *ibi:* in peinlichen Sachen
auch Leibsstraff belangend. facit *d. Ordin. Crim. art. 105.* & quod
in publicis quibusdam judiciis adhuc hodiè bonorum amissio
irrogetur, *ut d. Ordin. Crim. art. 111. vers.* welcher aber *art. 164.
169. 198.* §. Merck in istis autem judiciis civilem pœnam dicere
incongruum sit. Dicendum † videtur: criminalis actionis 13.
definitionem, quæ juris est Romani, moribus hodiernis non
esse immutatam; Germanicam autem ejus appellationem
(peinlich) à specie ejus (pœnam nempè corporis extrinsecus af-
flictivam persequente) desumtam, ob defectum alterius com-
modioris generi applicatam fuisse, ut ut fortè sæpius vi signi-
ficationis istius speciei tribuatur. Quod † idem jure Saxo- 14
nico obtinere, nec quoad definitionem action. crim. à jure
communi recessum, patet *ex sent. Weichbildo subject. tit.* Inju-
rien wie die peinlich *pr. & §. fin. p. m. 139. a. non obst.* Landtr. *lib.
1. art. 53. lib. 3. art. 32. inf.* gl. Weichbild *art. 17. post. pr.* Landts-
Ordn. *anno 1555. tit.* daß peinliche Sachen dadurch/ etc. maxi-
mè † id observante usu fori, ut actio ad palinodiam pein-
lich appelletur teste Dn. Carpz. *prax. Crim. q. 95. n. 30. confer. d.* 15.
Landtsordn. *anno 1555. tit.* was zu ober nieder oder Erb-
ger.

ger. §. alle solche *ibi:* schmehe Klagen/ wenn iemandt zu
seinen Ehren peinlich angeklaget wird/ sollen in die O-
16. bergericht gehören. Pro criminali † hæc disputata sunto:
quæ si minus subsisterent, Recantatoriam pro extraordinaria
quadam persecutione, sive imploratione (qualis est actio ex
l. diffamari, accusatio suspecti, & aliæ, ad civilium modò,
modò ad criminalium naturam propius accedentes) haben-
dam potius, quam inter civiles simpliciter referendam, cense-
17. rem. Planè, † si nec hoc obtineri posset, pœnalem tamen,
nec, ut communiter volunt, rei persecutoriam esse tentarem:
*per ea quæ dicta sunt supra n. 5. & seqq. & per d. Const. 42. par.
4. ibi:* durch geordnete Straff / *& ibi:* und diesem Laster
18. zu wehren. alias † neque dissimulatione aboleretur, neq;
judici recantionem in deprecationem commutandi libera
potestas esset, cum idem semper consequi debeat rei persecu-
tio. Et † quomodò non ad eundem finem (pœnam nempe
19. & vindictam) tendere potest, quæ in locum actionis merè pœ-
nalis (ad pœnam pecuniariam) surrogari d. Const. 42. meru-
it. Ita † verô, inquies, cadent, quæ de criminali Recanta-
20. toriæ natura supra disputata sunt; cum actio ista ad veterem
juris Saxonici pœnam etiam civilis fuerit. Dicendum: equi-
dem surrogatum cum eo, cui surrogatur, eundem habere de-
bere finem; at ut ejusdem etiam sit naturæ, necesse non esse.
imò diversa remedia diversis rectè, eadem iisdem penè inutili-
ter surrogari. Sed ad rem: pro † adstruenda rei-persecuto-
21. riæ natura urgeri solet restitutio famæ. Ne dicam, imagina-
riam eam esse restitutionem *arg. l. 3. C. de injur.* & ex opinione
saltem vulgi, ad quam natura actionis non videtur esse judi-
canda, modò † videndum, si famæ restitutio faceret rei
22. persecutoriam; an non actio recantatoria inter præjudiciales,
& ex primo juris objecto prodeuntes actiones esset reponenda?
cum famam restitui nostri patrimonii directè non intersit,
sed ad conditionem pertineat personæ. Quæ quoniam diffi-
cilia sunt dictu, ex famæ restitutione Recantatoriam non
23. æstimare, tutius est. minus † urget, quod habet Freherus
de

de Exist. lib. 2.c.8.n.5. de lucri ab injuriante propter voluntatis expletionem ex voluptate percepti restitutione. Nec enim id restitui, nisi impropriè dici potest; nec in rei persecutoriâ lucrum adversarii, sed damnum Actoris inspicitur; nec ulla esset injuria, quæ rei persecutoriam non produceret. 24
Quod Bachovius † arguit: recantationem injungi solere salvâ recantantis famâ; ubi verò neque fama læditur, neque bonis aliquid decedit, ibi pœnalem non esse actionem; id (ut alia, quæ hic dici possint, omittam) si post leges Romanas introductam actionem ex actionum legibus Romanis pœnalium accidentibus non æstimandam esse dicamus, facilè evitari potest, & retorqueri paucis immutatis: ubi Reus nihil ex bonis, quæ habet aut detinet, præstat, imò ubi Actor nullã rem recipit, ibi actio nõ est rei persecutoria. at ex recantatoriâ si quid reciperet, fama foret. at ea res non est, quam penes se hactenus retinuit injurians, aut quæ in bonis nostris esse possit. Nec † obstat *d. Const. 42. ibi*: ihrer Ehren Ergetzung 25
quoniam idem de æstimatoria injuriarum actione prædicari potest *v. Responsum Electorale de anno* 1637. *ibi*: auff eine Geldt Busse/so er anders seinen Ehren dadurch gerathen zu werden ver- 26
meinet *relatum à Dn. Carpz. ad d. Const.* 42. *in f.* Sive † ergò Recantatoriam criminalem esse obtineamus, sive civilem, pœnalem tamen; cumulativus ejus cum æstimatoriâ (civili Injuriarum actione) concursus impedietur. *non obst. d. Const.* 42. *ibi*: darüber etc. mit einer hohen Geldt Buß *par. 4. junct. Berlich. par. 5. concl. 61. n.* 103. Et priori quidem præsupposito, per ea, 27
quæ *supra n. 1.* dicta sunt. Posteriori, quia † certum est, pœnalem cum pœnali, (cujusmodi & æstimatoria est) de uno formaliter delicto *ne obst. l. 32. de obl. l. 2. per tot. de priv. del.* cumulativè non concurrere *v. etiam Dn. Carpz. prax. Crim. q. 95. n. 31. & seqq. & par. 4. const. 42. d. 16. latissimè: Bachov. ad Treutl. adde sent. Weichbildo subj. tit.* So die Injurien nicht aus 28
Frevel. *p. m.* 140. *a.* Id † dubii restat: quomodò actio ad palinodiam: si criminalis est, cum actione ad reliquas in d. Const. 42. præfinitas pœnas itidem criminali cumulari possit? Dicendum; non ibi cumulari actiones diversas, sed in eâdem

 actio-

VII. actione plures pœnas ex ista constitutione conjunctim, quasi
Concur 1. unam pœnam, luendas.
sus act. 2. Et hactenus inter se concurrunt Injuriarum actiones.
Inj. cum Aliæ, † cum quibus ipsæ concurrunt, cum primis sunt actio
aliis. ex l. diffamari, & actio L. Aquiliæ. Cum † illâ (ex l. diffamari; quæ ut ab injuriante possit intendi *v. Modest. Pist. q. 178. n.*
3. *20. & seqq.*) licet in eodem libello propter diversitatem petitionis cumulari non possit J. A. *v. Dn. Carpz. par. 4. Const. 42. d. 15.* eadem † tamen finitâ illâ alterâ (utpotè quæ tantùm imploratio quædam est & species defensionis, ad innocentiam duntaxat demonstrandam, non etiam ad pœnam
4. diffamantis directa *l. 5. C. de ingen. manum. v. Wesemb. consil. 96. n. 3. & seqq. & n. 13.*) victori diffamato adhuc patere videtur. *diss. Quidam.* Cæterùm † Injur. actio & Actio L. Aqui-
5. liæ concurrunt cumulativè, *l. 32. de oblig. l. 25. de injur.* non utraque in solidum, *ita intell. l. 53. pr. de oblig.* sed una in alterius supplementum *l. 34. pr. de oblig.* Qui † concursus in Legib. nostris ferè est successivus; *d. l. 34. pr. inf. l. 15. §. 46. de injur.*
6. *confer. l. 1. de vi bon. rapt. l. 1. arbor. furt. cæsar.* simultaneum tamen in Camerâ observâsse videtur Mynsing. *cent. 1. obs. 25.* Illud † non negandum, etiam in actione injuriarum damni rationem haberi. *l. 8. C. de injur.* (qui textus malè tractatur à gloss. & aliis) ideoque cumulationem harum actionum parùm prodesse, ubi de libero homine læso agitur: prodesse verò si de servo aut aliis rebus in meam contumeliam læsis seu corruptis; quoniam æstimatio damni ex l. Aquiliâ ad præteritum rei corruptæ statum facienda æstimationem damni in actione
IIX. injur. secundum statum præsentem factam superare potest *v.*
Libellus 1. *§. his autem verbis. 9. J. de l. Aquil.*

Progredimur ad libellum: ubi (1.) Actor † in relatione facti non tantum mentionem debet facere animi injuriandi in injuriante; *diss. quodammodò Angel. & Farinac.* (tanquam essentialis ad hoc delictum requisiti, sine quo etiam,
2. cum nulla sequi possit Rei condemnatio, inepta foret petitio libelli) *v. tamen Berlich. p. 5. concl. 60. n. 21. distinguentem inter*
3. *verba vel facta suâ naturâ injuriosa & alia.* sed † & (2.) si criminalis instituta fuerit actio, loci & temporis. *l. 3. pr. C. de*

ac-

Accus. quamvis † ea in civilis actionis libello commemorare non teneatur *non obst. l. 16. de dolo v. Gail. lib. 1. obs. 64. Dn. Carpz. prax. crim. q. 95. n. 35. Berlich. part. 5. concl. 65. n. 5. & seqq. & n. 22. & seqq. diss. Reyg. proc. disp. 3. th. 12.* nisi ad qualitatem sive atrocitatem facti pertineant. *ne obst. l. 7. pr. junct. §. 2. D. de injur.* Reo † utique, qui factum prorsus negat, *Foller. ad Mamnt. par. 4.* petente, ne is suis probationibus defraudetur, Actor quocunque casu, etiam post litem contestatam aut præstitam gvarandam, libellum suum quoad speciale tempus & locum declarare cogetur *v. Dn. Carpz. p. 4. Const. 42. d. 6. & par. 1. const. 11. d. 12. n. 5.* (3.) æstimare † poterit injuriam *§. 7. J. de injur.* si civiliter, (non si criminaliter *Wes. hic n. 15. 16.*) agatur, sive ex Edicto, sive † ex l. Corneliâ, *secundum communiorem, de qua Schneidew. diss. gl. & Bartol. per l. 37. §. 1. de injur.* Quæ tamen † æstimatio, cum eam judicis arbitrio committi sufficiat, de substantia libelli non videtur. *arg. d. §. 7. ibi: passi sunt l. 17. §. 2. de injur. d. l. 37.* quamvis tutius sit, fori usui recepto morem gerere, maximè ubi is juris rationi non adeo adversatur. Id † enim quod olim requirebant præcisè, in æstimatione istâ relationem ad lucrum vel damnum (quod Actor mallet amittere vel pati, quàm perpeti injuriam) faciendam, non tantùm hodiè non curandum; *v. Dn. Carpz. prax. Crim. q. 95. n. 7.* sed disputatum † quoque est, annon per relationem ad lucrum factam libellus prorsus vitietur? Ita Berlich *p. 5. concl. 61. n. 75. post multos.* Contradicente tamen Dno. Carpz. *d. l.* quem, cum ineptitudo libelli circa accidentalia saltem tolerari possit, sequimur. neque † quam Berlich *per l. fin. §. 2. in f. C. de Codicill.* urget, damni & lucri disparitas his casibus tanti æstimanda *v. Ordin. Cam. par. 2. tit. 28. §.* **und sonderlich** / *ibi:* **von den seinen verlieren / oder so viel nit gewinnen.** neque † fortè minor est in relatione ad damnum difficultas. quid enim, si injuriatus sit pauper; ut tantum non possit perdere? Festivè scilicet dicendum ipsi est: se nolle tantum de suo patrimonio amisisse, si haberet *v. Berlich. d. l. n. 77.*

4.
5.
6.
8.
9.
10.
11.

IX. Probatio.

At, ut verborum faciamus compendium, prætermissis, quæ controversiâ carent, cæteris, probationis onus, cui id in-

incumbat, videbimus ; maximè circa animum injuriandi,
1. quem, † si verba aut facta sint injuriosa, nec alia præsumtione subleventur, *ut in casu l. 5. §. fin. ad l. Aquil.* abfuisse, probare oportet Reum, *secundum communem, de quâ testatur Paris. in consil. per l. 5. C. de injur.* Injuriosum † autem non
2. tantum istud dicitur, quod sua natura tale est, ut, si quem virum malum appellem, licet citrà designationem specialis ma-
3. litiæ Diss. Berlich. *p. 5. concl. 59. n. 73. 74* (qui † tamen *n. 71.* rectè contrà Schraderum has locutiones: Præstat te esse meliorem; tu à tuo ingenio non discedis; tu es qualis es, inter dicta
4. injuriosa referri non patitur) sed &, ut † aliquid natura sua injuriosum esse potest, quod tamen ex more regionis tale non
5. sit; Sutholt *diss. 16.* §. 53. ita ex diverso, quod † natura injuriosum non est, ex consvetudine seu usurpatione loci ta-
6. le fieri potest ; aut etiam ex conditione personæ, ut si † quem virum honoratiorem, mihi non-familiarem Germanica Linguâ singulari numero in Germania compellem, quo ipso cum dignitas ejus & existimatio lædatur, injuriosum illud esse apparet *ex l. 1. §. 2. de injur.* ut iterum non sentiamus cum Berlichio *d. l. n.* 76. tuissationem pro injuriosa ideo non habentem, quòd apud omnes nationes præter Germanos sit usitata; imò & in Germania receptum esse, ut in tenera ætate nos tuissemus; at quod initio justū est, ex post facto injuriosum fieri non posse. denique ipsum Deum ita compellari. Hæc Ber-
7. lichius, de quibus fortè in disputatione. Non prorsus † dissimili ratione irrationabile factum ob eventum, quem implicat, intelligitur injuriosum, ut si Actor locupletem aut approbatū fidejussorem judicio sistendi causâ non accepisset. *v. l. 5. §.*
8. *1. qui satisd. cog.* quod † ad quorumcunque fidejussorum, etiam extra judicialiter ad contractus securitatem oblatorum repudiationem communiter ampliatum est, sed malè *v. latis-*
9. *simè Hering. de fidejuss. c. 6. n. 32. & seqq.* Quid † ergò, si litigans testi infamiam vel factum probrosum, Reus Actori probrosam exceptionem opponat, aut actor probrosam actionem
10. (qualem † etiam putamus condictionem furtivam *non obst. l. 36. de oblig. per quam dubitat. Modest. Pist. par. 1. q. 35.*) vel

accu-

accusationem intendat? an in probationibus succumbentes injuriandi animo fecisse putandi? Injuriarum utique teneri cōtendunt *Coras. Schneid. Freher. Gail. Reyg. Gerhardus dec. 17. q. 9. ubi hanc communem dicit* Dissentiunt *Angelus Baldus Hanon. Berlich. par. 1. concl. 15. n. 97. (sibi contrarius par. 5. concl. 59. n. 64.) Fachin. lib. 9. c. 13. (ubi ita judicatum meminit)* Priori † 11.
sententiæ, si ita explicari possit, quòd deficiens in probando crimine &c. animum injuriandi habuisse præsumatur, & ideò onere contrarium probandi gravandus sit, subscribimus *per l. 31. C. de lib. causa l. 22. de injur.* cum à † calumnia, quæ in 12
facto (licet non in modo vindicandi *d. l. 31. confer. l. 43. de injur.*) cum injuriâ potest concidere, *d. l. 31. l. 5. C. de injur.* sine manifestissimis documentis nemo excusetur, *c. 1. in f. de Elect. in 6. c. fin. de calumn. confer. c. 3. causa 2. q. 3. l. 1. C. de advoc. divers. judicior. non obst. l. 1. §. 3. vers. si verò in evidenti D. ad SC. Turpill.* ipsâ facti irrationabilitate arguente malitiam. *ut l. 13. §. fin. de injur. l. 25. de action. emti.* imò † inquies, (1.) non 13.
protinus calumniari videri, qui non probat *l. 1. §. 3. & 4. D. ad SC. Turpill. l. 3. C. de calumn.* nec (2.) omnem hîc rationem deficere, sive in Reo excipiente, qui defendendi; sive in Actore, qui jus quoddam persequendi, non lædendi animum habere videtur *ut l. 26. de lib. causa. l. 14. §. 7. de bon. libert.* sed & (3.) eum; qui jure suo utitur, nemini facere injuriam *l. 55. de R. J.* Respondemus † (1.) ubi super calumniâ cognitum jam 14.
est, & ejus in sententiâ nulla facta est mentio, nec ibi eam præsumi; quoniam si Præses calumniam deprehendisset, in sententiâ adjecisset. At hîc de re agimus non decisâ (2.) & † de- 15.
fendendi animū improbū esse posse, & cum lædendi voluntate conjunctum, si sciens falsa objicias, atque, ut à justè, intentatâ te liberes actione, me injustè lædas. Id † verò conce- 16.
dimus: in Actore, qui litem movet alterius cujusdam Juris ritè sibi competentis conservandi causa, præsumptionem animi injuriandi elidi *ut d. l. 14 & d. l. 26.* (3.) cætera † negantes 17
eam nostrarum legum esse iniquitatem, ut improbos litigatores suo jure (quod nullum habent, aut, si habent, abutuntur) uti asserant *v. pr. J. de pœn. tem. litig. l. fin. C. de calumn.*

 Deni-

18. Denique † solent in hisce controversiis variè distinguere: utrum litigantes juramentum calumniæ præstiterint? an non? *Ita Jac.* Schultz. *ad Mod. Pist. q 35.* utrum Reus turpitudinem testi objiciens in capitis aut famæ periculo versetur, an non? *ita Goedd. par. 3. disp. 14. th. 4. Arum. Exerc. Just. 17 q. 18.* utrùm protestentur de animo non-injuriandi, an non? *ita Gail. rejectus. ab Arum. d. l.* De singulis dispicere neque tempus pati-
19. tur, neque charta. In injuriosis † sanè protestationem, utpotè facto contrariam, protestantem (sive sequatur, sive præmittatur *v. Jac,* Schult. *ad Modest. Pist. q. 127. n. 25. diss. Bartol. Angel. Bertrach.*) non relevare, *per c. 54. X. de appell.* communi-
20 or est & verior sententia. Ab eo † autem, quod de objectione falsi criminis *suprà n. 9.* diximus, diversa videtur à Magistratu facta incarceratio, quam innocentia captivi postea emergens injustam probavit. difficilius enim in magistratu præsumitur injuriandi animus *l. 13. §. 1. §. 6. l. 33. de injur.* Quod † eò per-
21 tinet, ut, licet actio injuriarum ex hâc causa non prorsus denegetur, *l. 17. §. 2. l. 32. de iniur.* quod velle videtur Eachin. *lib. 9. c. 57. (v. tamen Jac.* Schult. *ad Modest. Pist. q. 135. n. 11. & sqq. ubi distinguit inter factum magistratus, quo is ultra potestatem suam agit, & illud, quo potestatem suam malè saltem explicat & exercet)* ab onere tamen probandi excusetur magistratus. Nec
22. † hoc prætereundum: Reum super animo injuriandi præsumtionibus gravatum, nihilominus ad juramentum purgationis
23. (quod † etiam in causis famosis, quippè nec alia v. c. decisoria respuentibus, *l. 6. §. 4. de his qui not. in fam. l. 18. C. ex quib. causis inf. l. 5. § 8. de iniur.* fidem meretur) esse admittendum *Goedd. par. 3. disp. 14. th. 7. Coler. decis. 161. n. 42. adde sent.* Weichbild *tit.* so die Injurien nicht aus frevel *p. m. 140. &*
24 modò † & ipse qualibuscunque præsumtionibus juvetur. Quibus è contrario, etiam debilioribus, planè deficientibus, facti injuriosi ab Actore facta probatio ad condemnandum efficax putatur, atque proinde purgatorio in causa saltem dubia obtinenti, *l. 31. de jureiur. l. 6. §. 4. vers. sicubi C. de his, qui ad eccles. l. 3. C. de reb. cred. c. fin. ins. X. de jureiur.* locum non facit *Gail. lib. 2. obs. 106. diss. Berlich. p. 5. concl. 60. n. 13.*

Quod

Quod si † (post conclusionem in causâ) in eâ causâ sit. X. Reus, ut condemnari debeat, judex (in civili actione) æstimationem ab Actore factam moderat, moderatam sententiâ interlocutoriâ Actoris juramento committit. quo in præfinitam summam præstito, in eandem demum sequitur condemnatoria in Reum sententia. Atque ita in Camera observatur; *v. Speckban. cent. 2. class. 3. q. 4. n. 15.* 16. ut ut † juri scripto magis congruat, moderationem citra juramentum Actoris fieri. *secundum Joh. Fabr. Gottofred. Bocer. & Fomann. non obst. c. 7. X. de iniur.* imò aliquandò in Camerâ ita judicatum refert Mynſ. *cent. 1. obs. 84.* & in foro Saxonico verba: stellet solches ohne Eyd zu rechtlicher moderation, libello communiter inseri solere, Dn. Carpz. *prax. crim. q. 95. n. 9.* Sed præsuppositâ † illâ priori observantiâ, nec hoc inter Dd. constat, utrum juramentum Actoris taxationem judicis præcedere debeat, an sequi? Prius antiquioris seculi JCtis ferè placuit; posterius novioribus, & (ut supra dictum) ipsi Cameræ. Rectius: *per l. 4. §. 2. l. 5. §. 1. de in lit. jur. nov. 82. c. 10.* Aliud juramentum † est minorationis, quod jure Saxonico Reo, qui damnum intulit, defertur, ad hoc, ut aut æstimationem damni ab adversa parte factam præstet, aut juramento isto deminuat. *v. Ordin. Proc. tit. 31. pr.* Verùm, cum istud tantum pertineat ad damna, & quidem per violentiam ablativam aut expulsivam illata, *d. Ord. proc. §.* dieweil aber. ad injuriarum æstimationem trahendum non est. *Adde Dn. Carpz. d. l. n. 19. & seqq.*

Moderatio.

2. 3. 4.

Ipsius † condemnatoriæ sententiæ, à competente judice *l. 2. in f. de pœn.* (qualis † arbiter esse non intelligitur *l. 32. §. 6. de recept. Speckban. d. l. n. 18. 19.*) latæ, nec suspensæ *l. 6. §. 1. de his qui not. inf.* sequela miserabilis est, infamia; quâ scilicet † suo nomine *v. l. 1 in pr. l. 6. §. 2. & 6. l. 14. de his qui not. inf. non obst. l. 10. C. ex quib. causis inf.* ad legalem pœnam *v. l. 13. §. 7. de his qui not. inf.* ex † potestate actionis (non ex inquisitione judicis *v. Berlich. p. 5. concl. 63. n. 33.*) condemnatus notatur; & quidem ipso † jure. *l. 7. ibi: infamiam condemnato importat. de publ. Iud. l. 1. pr. ibi infamia notatur, qui &c.*

XI. *Sententia.*

1. 2. 3. 4. 5.

damnatus erit D. de his qui not. inf. l. 5. l. 18. C. ex quib. causis inf.
6. *Paulus 5. sent. 4. §. 8. Diss. Schotanus.* nec enim † ea infamia sententiæ magis adscribenda, quam pacto *arg. l. 4. §. fin. de his*
7. *qui not. inf.* at pacto † tantùm adscribitur, ut conditioni, non ut causæ influenti; cum in conventione istâ ex paciscentium consensu nihil minus agatur, quàm ut paciscens fiat infa-
8. mis. Verius † ergò est, condemnatum infamiâ notari ab ipso edicto prætorio. *d. l. 18. C. ex quib. causis inf.* idque exten-
9. dendum (1.) etiam ad † actionem civilem L. Corneliæ *Diss. Wurms. in obs. per l. 27. §. 3. ad l. Aquiliam. junct. l. 2. C. rer. amot.*
10. (2.) ad † actionem Recantatoriam. *Diss. Wesenb. Cons. 22. n. 25. & quos ibi allegat.* aliàs enim opus non esset, damnato ad Recantationem reservare honorem, quod tamen fieri testantur Goedd. *par. 3. d. 14. th. 13. Gail. lib. 1. obs.* 65. Objiciunt
11. † quidam, Recantatoriam criminalem non esse, nec ergò infamare, Verùm imò & criminalem eam esse supra ostensum, *confer ergò l. 7. de publ. jud.* & civiles actiones, etiam rei persecutorias, *l. 1. pr. ibi: pro socio, tutelæ, mandati, depositi D. de his*
12. *qui not. inf.* famosas esse posse, liquet. (3.) ad † sententiam injustam, *arg. l. 65. §. 2. ad SCt. Trebell. non obst. l. 8. C. ex quib. causis inf.* modò ista sententia non sit ipso Jure nulla. *ut l. 2. l. 7.*
13. *C. qn. provoc. non est necess. & similibus* (4.) ad † injurias leves *arg. c. 23. vers. tu timens. X. de sent. & re judicatâ non obst. l. 40. ibi: atrocis. de iniuriis. junct. l. 8. de decurion. d. c. 23. vers. nos autem l. 9. in fin. de dolo. l. 17. §. 3. de iniur.* secundum magis communem, de quâ Gail. *lib. 2. obs. 102* (quamvis & contrariam communem dicat Cavalcanus *de testibus par. 2. n. 83.*) Neque
14. diversum † erit in condemnato dignitate aliqua prædito *confer. l. 5. C. ex quib. causis inf. non obst. d. l. 40. de iniur. Diss.*
15. *Speckhan. cent. 2. class. 3. q. 4. n. 3.* (5.) ad † jus Saxonicum Electorale, quod plures pœnas cumulans *Const. 42. par. 4.* infamiam idcircò sustulisse non videtur *fac. l. 32. §. fin. C. de appell. non obst. l. 13. §. 7. de his qui not. inf.* (qui textus de aggravatione pœnæ à judice, non à lege, facta loquitur) *v. Berlich. par. 5. concl. 63. n. 3. 4. Dn. Carpz. prax. Crim. q. 94. n. 68. & seqq. diss.*
16 *Wesenb. hic n. 18.* (6.) ad † eum, cui judex in sententia reser-

vavit

ravit honorem *l. 63. de furt. l. 15. pr. inf. ad Municip. l. 1. §. 4. ad SCt. Turpill. l. 40. de iniur. non obst. l. 3. C. ex quib. causis inf. l. 6. §. 3. vers. qui jussu. l. 13. §. 7. D. de his, qui not. inf. l. 1. §. 10. vers. pro quâ D. de postul.* Id enim Juris prudentiæ Romanæ satis con-
gruit; hodierno † verò fori usu tàm superioribus judici- 17
bus, à quibus nulla est appellatio, quàm inferioribus *Dn. Carpz. d. l. n. 79. diff. Vult.* honorem Reo reservare licet, maximè ubi de leviori injuria actum fuit. *v. Berlich. d. l. n. 39. 40.*
Ut hoc † primum sit remedium evitandæ infamiæ; non 18
sanè unicum. Nam & alia † cautela est, ex contumacia 19
se pati condemnari; quæ quidem si ad rationes Romanarum legum etiam confessionem præsumtam notantium *l. 5. junct. l. 4. §. fin. de his, qui not. inf. conf. l. 7. C. de interdict. matrim. ad quam non satis respondet gloss. lat. ad text. lat.* Landtr. *lib. 1. art. 67. verb. pro quacunq; culpâ* examinetur, dubitari possit, an subsistat? recipienda tamen est à nobis, quæ in foro jam est recepta. *v. Dn. Carpz. d. l. n. 89. & seq.* Illa †. vetustior est, si Reus 20
judicium (civile *v. supra*) suscipiat per procuratorem, *l. 2. de obseq. parent.* ob adquisitum (ut ita dicam) post litis contestationem dominium litis, condemnandum *l. 1. C. de sent. & interl. de observantiâ Cameræ v. Gail. lib. 2. obs. 102. n. 7. Speckhan. d. l. n. 15.* Unde † cautelâ hanc Bartolus mirabile consilium appel- 21
lat; Wesenbecius autem *hic n. 16.* parùm tutum *per: l. fin. C. de injur.* non animadvertens in d. l. fin. de criminali actione agi.

Interdùm etiamsi † absolvatur Reus, infamiâ tamen 22
notatur, ut si pretio interveniente pactus fuerit *l. 4. §. fin. l. 6. §. 3. de his qui not. inf.* post † litem sc. contestatam; non item, 23
si antè *non obst. d. l. 6. §. 3. ibi: ne secum ageretur D. de his qui not. inf.* cum non putandum sit, solum delictum infamiâ puniri, sed istud cū temeritate litigantis conjunctū. *arg. §. 1. junct. pr.*

secus esse, ob præsumptionem confessionis in solutione ferè,
26 quàm in pacto violentioris *arg. l. 5. C. de re judic.* Ut ut † er-
gò Reus ab instituta actione *secundum Joh. Fabrum, Fulgos.*
Modest. Pist. (aut *secundum hodiernam observantiam* ab instan-
tiâ *v. Gail. lib 2. obs. 103. n. 6.*) absolvatur; *§. fin. J. de perpet. &*
temp. act. absolutoria tamen illa sententia pœnam legis præ-
sumtæ confessioni dictam non absorbebit *l. 5. pr. de publica.*
27 Neque † concedi potest, quod Gailius urget: eam saltem
confessionem infamare, quæ facit ad condemnationem; solu-
tionem autem ad absolutionem prodesse. Quibus scil. stanti-
bus nec confessio, quæ pacto subesse intelligitur, & æquè con-
demnationem impedit, infamaret. Interim † contrarium
28 sentientes in varias abeunt sententias: aliis non tantum post
litem contestatam, sed & post conclusionem in causa; (quæ
sententia plerisque Curiis placuit) aliis post sententiam etiàm
præambulam; aliis etiam post definitivam, modò suspensa
sit, factam solutionem ab infamia liberare tradentibus. Tu-
29 tissima † est & in foro Saxonico teste Beustio *in l. nam post-*
eaquam §. si damnetur D. de jurejur. quondam usitatissima cau-
tela, si ante condemnationem alius in judicio æstimationem
pro Reo deponat.

Cursum absolvimus sive exercitium hujus actionis,
XII. 1. quam tamen sæpè † contingit, antequam exerceatur, aut
Exstin- in ipso etiam exercitio exstingui; vel facto, vel non facto, vel
tio. per 2. casu. Facto (ipsius Injuriati) (1.) si † remittat injuriam;
factum. quoad jus scil. & actionem sibi competentem. Vindictæ enim
extrajudicialis, privatæ, illicitæ remissio, & abolitio rancoris
3. animi actioni non præjudicat: ne † aliàs & is, qui in con-
fessione sacerdoti facta remittere se dicit injuriam, actione sua
cadat, quod paucis dissentientibus rectè negant Schneidw.
4. Bebio. Maranta. Berlich. Remittitur † hoc modo injuria
vel expressis verbis, (fortè per pactum *l. 17. §. 1. l. 27. §. 4. de*
pact. l. 17. §. 6. de iniur.) vel remissa præsumitur ex factis. ubi
5. perniciosissima †. occurrit & privatorum odiorum nimis
incentiva opinio, quibusvis animi reconciliati signis actio-
nem hanc confodi existimantium. Si manum dederis inju-
riato

rianti, si salutaveris, ecce perit tibi actio. *ita ajunt per c. 4. causa 27. q. 1.* (nisi fortè ista feceris cum cautela pulchrè, si Diis placet, inter pocula excogitatâ aulica, uff Hoffrecht) Aut ergò morosum, odii tenacem, & quasi omnis humanitatis te esse nescium oportet, aut juris tui facere jacturam. *v. plura apud Henning.* Groß *decad. 9. q. 5.* Sed † ut aliquid concedamus, satius est, humanitatis officia à familiari & Amicorum propria conversatione distinguere *uti ferè sentit gl. germ. ad* Landtr. *lib. 3. art. 31. n. 7.* & per hanc actionem, maximè † civilem, *v. Wesenb. hîc n. 13.* censeri remissam, concedere: non obstante ad † animum facta revocatione, *v. Wesenb. d. l. diss. Felin. & Panorm.* aut † contestatione litis, *v. Rodericum Suaretz in l. 2. tit. de los. casamientos n. 31. ubi scribit: se obtinuisse D. ß. Foller. in addit. Marant. par. 4. §. devenio. n. 97. Vult. ad §. fin. n. 4. J. hic. Freher. de Exist. lib. 2. c. 8. n. 21. Coler de alim. lib. 2. c. 5. n. 13.* Hæc de remissionis modo. Circa † personas remittentes notabile est admodum, quòd Pater injuriam filio f. factam ita possit remittere, ut etiam actio filio adquisita pereat. *l. 17. §. 12. de iniur. Diss. Vitalinus de malefic. lib. 4. c. 12. n. 12. & alii per l. 1. §. fin. l. 17. §. fin. l. 30. §. 1. l. 41. de iniur. l. 5. §. 2. ad l. Jul. de vi publ. l. 30. pr. de pact.*

6.
7.
8.
9.
10.

(2.) Si † retorqueat. Ita *per l. 1. §. 2. vers. etenim D. quod legat. l. 17. §. 6. de iniur.* sentiunt Bachovius *ad Treutl. vol. 2. disp. 30. inf.* Dn. Carpz. *part. 4. Const. 46. d. 10. & in prax. crim. q. 97. n. 31. & seqq. latè* & in praxi observari testatur Berlich. *par. 5. concl. 64. n. 40.* dissentit (quoad actionem æstimatoriã) Mebelkrak. Discernenda videtur retorsio defensiva à recriminatoria; ut illa quæ defensionẽ complectitur privatã, vindictã sive pænam judiciálem, (utpote à defensione ista diversam) & ad hanc tendentem injuriarum actionem non impediat; recriminatoria † autem (ubi citra amolitionem objecti cri- 12.

11.

de adult. non obst. c. 16. X. de jureiur. eamque compensationem
in judiciis admitti testantur *Freher. d. l. n. 18. & sententia Weichbildo subjecta tit.* von Ungehorsam / und umb Schmehewort. etc.
14 *p. m. 171. b.* in actione † puta civili *Jac.* Schultz *ad Mod. Pist.*
q. 127. n. 19. & seqq (non criminali, ubi Respublica pœnas u-
15 trinque quasi creditrix exigit) qualis † cum actio ad palinodiam non sit, in ea aliud probat observantia, recantationem tamen utrinque faciendam plerumque in mutuam deprecationem permittens converti. *Conf. Dn. Carpz. prax. Crim. q. 97.*
16 *n. 45.* Sciendum † autem, quæ de compensatione tractata sunt, de compensatione causæ cum causa debere intelligi, non
17 de compensatione rei debitæ cum re. licet † enim hoc compensationis genus actioni injuriarum pecuniariæ rectè opponatur; *l. 10. §. 2. de compens.* non facilè † tamen id, quod ex
18 delicto injuriæ mihi debere potes, ad compensationem alterius quantitatis tibi debitæ, nisi post condemnatoriam sententiam, mihi proderit *arg. l. fin. §. 1. Cod. de compens.*

XIII. Per nō-factum.

Non-facto seu negligentiâ injuriati aboletur actio per
1 præscriptionem, ipso † jure (non demum exceptionis ope) actiones perimentem *l. 17. §. 6. de iniur. fac. pr. ibi: certos fines dederunt. J. de perpet. & temp. act. l. 3. ibi: minimè protendantur & ibi: viventi ulterius non habeant potestatem. & ibi: exstinguantur & ibi: nulli movendi ulterius l. 4. l. 7. §. 1. C. de præscr. 30. vel 40. ann. non obst. d. l. 3. ibi: agenti 30. annorum præscriptio metuēda. l. 8. §. 1. & 4. l. fin. C. de præscript. 30. ann. l. fin. C. quib. ex causis mai. (ubi exceptio appellatur) l. 44. §. 1. vers. placet. D. de oblig. Diss. Kling. & Bebio hic. & in genere Treutl. vol. 2. disp. 29.*
2 *in f.* Annalis † ea est, si A. J. fuerit prætoria; *l. 5. C. de iniur.*
3 *pr. J. de perp. & temp. act.* ut, si de carcere † injusto agatur (etiam de jure Saxonico Electorali *v. Dn. Carpz. part. 4. Const. 46. d. 4. Hartm. Pist. lib. 4. q. 20. n. 8.*) aut de injuriâ † scriptâ
4 *Const. Elect. 46. par. 4. Magnif. Dn. Richter decis. 21. n. 4. Diss. Gail. Wurmss. Hackelman. Schurff. Mynss. Zasius Borcholt. Vult. Bald. Cujac. Goedd.* quos parùm juvat, scripturam loqui perpetuò. cum † ex duratione injuriæ ad actionis durationem
5 malè concludatur, nisi incertissimum & pro casuum varietate

admo-

admodum variabilem actionis hujus terminum fateri velimus. Quid si enim post mensem chartula comburatur? dicendum foret, & actionem exstingui, duraturam aliàs vel ultrà 100. annos, si chartula mansisset salva. De convicio verò vix unquàm actio erit, evanescente illicò in auras emissâ voce. Confunditur † etiam opus injuriosum cum injurioso 6.
facto, quod demùm propriè est injuria: Scriptura ista opus est; factum ipsum scriptio. at hæc satis exigua temporis particula potest absolvi.

Ab annali † porrò hac præscriptione quidam excipiunt injuriam Doctori illatam *Berlich. par. 5. concl. 69. n. 19.* 7.
Quibus fundamentis, videant ipsi! Nobis pergendum est. Annus, † intra quem actio prætoria præscribitur, ratione initii 8.
est utilis (ut ignoranti currere nō incipiat) *l. 14. §. 2. quod met. causa. Const. Elect. 46. par. 4. non obst. l. fin. ibi: continuum biennium. C. de dolo. l. 5. ibi: ex eo die C. de injur. l. fin. in f. ibi: nullâ scientiâ. C. de præscript. long. temp. Diss. Accurs. Cyn. Clarus. Rota Rom.* ratione † progressus sive decursus est continuus; 9.
fac. pr. vers. nam. & ipsius I. de perp. & temp. act. Diss. Follerius in addit. ad Marant. jure † equidem Saxonico adjectas ha- 10.
bens sex septimanas & tres dies secundum Beust. *ad l. nam postea quā §. si is, qui. n. 11. & seq. de jureiur: Berlich: par. 5. concl. 69. n. 25.* post alios. quorum sententia congrua videtur observantiæ fori Saxonici communis; *gl. lat. text. germ.* Landtr. *lib. 2. art. 16. lit. m. Colerus decis. 128.* licet de † jure Electorali *par. 4. const.* 11.
46. pr. ibi: dieweil die Rechte apertè se ad jus civile referente, *alia argumenta v. apud Dn. Carpz. d. Const. 46. def. 3. & in prax. Crim. q. 97. n. 59.* verius sit annum istum esse communem seu vulgarem.

Quod si de actionibus civilibus ex L. Corneliâ (inter quas † etiam actio de injustâ torturâ *arg. l. 5. pr. & §. 1.* 12

sutores, Bulgarus, Johannes; item Rofredus, Azo, Gomezius. Ol-
14 *dendorp. Wes. Lagus. Plotus. Cujac.* Neque diversum † jure Saxonico communi esse introductum, ex ullo juris Saxonici textu perspicere potuimus, ut ut ob malè intellectum art. *31.* Landℜ. lib. 3. in communi juris Saxonici foro quas vis injurias anno præscribi quondam placuerit. *v. Reinhard. apud Zobel. part. 4. diff. 7. n 30. Schurff. cent. 1. cons. 12.* Quicquid sit, de jure
15 Saxonico † Electorali injuriæ, quæ L. Cornelia comprehenduntur, distingvendæ sunt in leviores & atrociores. Illæ, ut pulsationes, alapæ, anno; hæ triginta annis anno & die præscribuntur *d. Const. 46. par. 4.*

16. Criminales † injuriarum actiones (ut & accusationes publicæ famosi libelli) viginti (non triginta, ut vult Anton. Coler. *Isag. Jurispr. par. 2. disp. 5. th. 14. a.*) annis præscribuntur; *l. 12. C ad l. Cornel. de fals.* etiam † de jure Saxonico, sine
17. adjectione anni & diei, *v. Dn. Carpz. prax. Crim. q. 141. n. 11. &*
18. *seqq. & n. 61. & seqq.* excepto † crimine famosi libelli, quod 30. demùm annis anno & die; *ex d. Const. Elect. 46 §. fin. par. 4.* nisi istum textum intelligere malis de actione ob famosum libellum civili; quod etiam dicendum videtur: *arg. §. praeced.*
19. licet † eam actionem jure Romano prætoriam *arg. l. 6. ibi: jure communi D. de injur.* & ideò intra annum intentandam fu-
20. isse probabile sit. Concludimus: vicennalem † eam præscriptionem pertinere etiam ad Recantatoriam, (quam Vultej. *ad §. pœnæ hic* anno, alii 30. demum annis finiri putant) & in
21. † genere etiam ad eas criminales actiones, quæ ex injuriis in civili judicio tantùm Prætoriâ actione persequendis, competunt *Magnif. Dn: Frantzk. Exerc. 12. q. 9.* Dis. Foller. *ad Marant.* Gottofred. *in not. ad Schneidw.* Myns. Berlich. & alii, præsupponentes doctrinam Saliceti, quâ criminalis non possit superare civilis actionis vitam *arg. d. l. 12. C. ad l. Corn. de Sicar. junct. l. 3. C. de præscr. 30. vel 40. ann.* imò ipsam, ajunt, injuriam anno tolli. E. & omnes exinde prodeuntes actiones. Ve-
22. rùm ut † istam Saliceti regulam in casibus, ubi civilis & criminalis ex diversis juribus (illa fortè ex Edicto Prætorio, hæc ex moribus) introductæ sunt, non semper concedendam; ita,

cum

cum † injuria anno tolli dicitur, non de ipso facto (quod 23.
infectum fieri nequit) sed de certo ejus effectu saltē intelligendum existimamus. Effectus delicti duplex, duplex obligatio est. una, quâ delinquens læso ad pœnam privatam, altera quâ reip. ad publicam obligatur. diversa ea sunt, & ab eadem equidem causâ, non tamen à se mutuò, dependentia, ut uno sublato alterum adhuc subsistere impossibile non sit.

Casus † denique, quo actio injuriarum perimitur, 1. *XIV. Per casum.*
mors est, sive Injuriantis, sive Injuriati. intellige de † actio- 2.
ne, quam ipse defunctus habebat, non etiam de eâ, quam per eum alius. Ita enim mortuo filiof. nihilominus suo nomine patrem experiri posse rectè statuit Hartm. Pistor. *lib. 4. q. 21. n. 3. fac. l. 1. §. 5. D. de injur.* Cæterùm † civilis injuriarum actio 3.
nec heredi, nec in heredem datur, *l. 1. §. 1. de priv. del. l. 32. ad l. Falcid. non obst. l. 1. §. 4. & 6. de injur. l. 22. §. 9. D. rem rat. hab.* nisi † post litis contestationem, *l. 13. pr. de injur.* quam 4.
quidem (aut prout casus inciderit, simile remedium, *ut l. 2. C. de ann. Exc. l. 1. 2. C. quand. lib. princ. obl.*) tàm † ad perpetu- 5.
andam hanc actionem (id est ad præscriptionem exemplo aliarum actionum *l. fin. ibi in judicium deducta C. de annali exc. junct. l. un. C. de lit. cont.* interrumpendam) *l. 24. pr. de lib. causa d. l. 2. junct. l. 1. C. quand. libell. princ. l. 139. pr. de R. J. Ordin. Proc. tit. 6. in f.* quàm † in vel ad heredes transmittendam 6.
d. l. 13. pr. de injur. §. 1. in f. de perp. & temp. act. l. 10. §. 2. D. si quis caut. arg. l. 28. D. de injur. d. l. 1. C. quand. lib. Princ. l. un. C. ex del. defunct. præcisè requirimus; citationem † non suffi- 7.
cere, putantes, *non obst. Clem. fin. ut lit. pend. c. 19. X. de foro comp. l. 33. de oblig.* nisi † Reus in morâ sit *d. l. 10. §. 2. in f.* 8.
(quæ exceptio etiam jure Saxonico debet admitti *Dis. Berlich. part. 5. concl. 70. n. 6. 7.*) aut † in Judicio isto, in quo agitur, 9.
vel ob litium multitudinem, vel procedendi formā intra annum ad litis contestationem cità possit perveniri. Ita in

tantùm verbalibus procedat & levioribus; ob vulnerationem enim heredi etiam lite non contestata actionem injuriarum *arg. l. 15. §. 14. de injur.* saltem ad impendia in curationem facta, tribuendam. Quod † de jure Saxonico concedi qui-
11. dem possit, si intra annum moriatur Injuriatus; *per* Landr. *lib.* 3. *art.* 31. Schultz *lit. c. J. de perpet. & temp.* de † jure civili
12. minimè *arg. l. 5. §. 5. junct. l. fin. D. de his qui effud. l. 15. §. 1. & l. seq. D. ad L. Aquil.*

Criminales † denique morte Rei vel Accusatoris si-
13. ne distinctione contestatæ vel non-contestatæ litis exstingvi, vide *tot. tit. C. si Reus vel Accusator l. 10. pr. l. 15. §. 3. ad SCt. Turpill.* ut hac ratione facilè † adsentiamur iis, qui Recanta-
14. toriam etiam post lit. cont. nec ad heredes Injuriati, *Berlich. par. 5. concl. 62. n. 25. & seqq.* nec † adversus heredes Injuri-
15. antis, *Dn. Carpz. prax. crim. quæst. 96. n. 31.* statuunt transire.

Modò, quæ difficiliora videbantur, collegimus; in materiâ multorum pedibus trita, contrita penè dixerim, aut, quod viis publicis ex frequentiori rotatu obtingit, exesâ. Leviora loquimur, & terrestris tantùm itineris molestias. neque, quod sulcare posis, deest æquor. Si volupè est, procellas videbis, & imminentes scopulos; vix evitandos, nisi circumductâ navi. Tentare id interdum licuit. Ne nobis nimium placere nos dicas! licuit tentare. neque solis nobis. Sed inter disserendum ecce nos in portu! Vela contrahamus.

INcipe! fare palàm! citò sat, si sat benè, cœptum est,
Inceptis nostrum est addere vota. sat est.

gratulationis ergò *f. PRÆSES.*

DUm de cathedra falsa Sophismata
Griphosq; juris mentis acumine
Dextrè resolvis, jure amascum
Te placitæ vocitem Themistos.
Sic perge, Amice; & surripe Te moræ,
Næ, strenuum magnus Deus adjuvat
Conamen, audeto quod audes
Ad superas properare sedes.
Victoriosæ munus adoreæ
Hinc amne certò divite! profluet,
Hinc & Tibi surgent decora
Digna labore tuo brabéa.

Exiguis hiscè Eximio Dn. Gammersfeldero Fautori, Amico & Commensali suo suavissimo de præclaro ausu festinabundus gratulatur.

VVolfgangus Eschenvveckerus
Lausa-Noricus.

